Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8999
Copyright: Melk, Benediktinerstift

culata et illesa. pone animum tuum et sacrifica diis. Sinalias legibus acta omnibus dabis timoris
exemplum. Dorothea respondit. Hi qui deum timent. homines rabidos non timent. Hoc enim faci
unt quod canes rabidi laniant homines innocentes quia ratio in illis nulla est. insaniunt deseui
unt. irascuntur et latrant. et suis morsibus uulnerant transeuntes. Fabricius dixit. Tu quantum
uideo perseuerante disponis in ista tetrissima professione. et uis cum ceteris mori. Audi me et
sacrifica. ut eculei penas euadas. Dorothea respondit. Eculei pene temporales sunt. gehenne autem
tormenta eterna sunt. Ut ergo eterna euadere mihi liceat. temporalia timere non debeo. Memor enim sum
dixisse dominum meum. Nolite timere eos qui occidunt corpus. animam autem non possunt occidere. Sed potius
eum timete. qui potest corpus et animam perdere in gehennam. Fabricius dixit. Ergo timere debes deos.
ne irati animam tuam et corpus tuum perdant. si non eis sacrificaueris. Dorothea respondit. Iam dixi
tibi fabrici. quia nullo modo me poteris persuadere sacrificare demoniis qui habitant in istis ua
nis numinibus. qui sic uixerunt ut turpe sit dicere. et sic mortui sunt ut animalia. Qui dum ui
uerent. non cognouerunt deum qui fecit celum et terram. mare et omnia que in eis sunt. Horum ergo anime
in igne ardent. quorum uos per uaria metalla adoratis effigies. et necesse erit. ut etiam cum ipsis in
ignem eternum mittantur. quicumque relicto creatore suo. horum uoluerint esse cultores. Cumque audisset
hoc fabricius uehementer iratus est. et conuersus ad tortores suos dixit. Suspendite eam in catasta. ut uideat
se constitutam in penis. uel sic consenciat diis se exhibere cultricem. Sancta igitur dei famula dorothea cum
se uidisset constitutam in catasta. constanter intrepida et non interrogata ait ad iudicem. Quid tricas.
Fac quod facturus es ut possim eum uidere. pro cuius amore mori non timeo. et torqueri non paueo.
Fabricius dixit. Et quis est quem desideras? Dorothea respondit. Christum filium dei uiui. Fabricius dixit.
Ubi est Christus? Dorothea respondit. Quantum ad omnipotenciam eius pertinet ubique est. quantum autem ad
humanam capacitatem. sensus humane fragilitatis uanum putat quod non in loco aliquo esse
didicerit. et ideo confitemur filium dei ascendisse in celum. et sedere ad dexteram patris sui dei omnipotentis.
qui unitatem deitatis optinens. cum patre et spiritu sancto inuitat nos ad paradysum deliciarum dei.
Fabricius dixit. Oportet te relinquere uanitatem et sacrificare diis. et accipe uirum et letari in uita
tua. ne taliter intereas. sicut et patres tui perierunt propter stulticiam suam. Dorothea respondit.
Nec sacrificabo demoniis quia christiana sum. nec uirum accipiam quia christi sponsa sum. et hec est
fides mea. qua me introducat in paradyso suo. et ad suum thalamum me faciat peruenire. Tunc fa
bricius iussit eam duci ad duas sorores cristen et calisten que nuper apostatauerant. et commenda
uit eam illis fabricius dicens. Sicut uos relicta uanitate et superstitione christiana diis sacrifi
castis inuictis. et remunerare uos feci. adhuc melioribus donis honorari uos faciam. si istam
potueritis ab hac stulticia reuocare. Cumque suscepissent eam in domum suam. et dicerent ei. Con
senti isti iudici et libera te de periculo penarum sicut et nos fecimus. melius est tibi agere. et lumen
istud non consumas in penis. et ante tempus tuum in doloribus pereas. Res pondens doro
thea dixit eis. Si audiatis consilium meum. et uos ydolis sacrificasse peniteat.
Bonus enim deus est et copiosus in misericordia his qui conuertuntur ad eum in toto corde suo. Dicunt ei cris
tes et calistes. Iam et semel perimus christo. quomodo potest fieri ut reuerti possimus? Dorothea dixit.
Magis peccatum est desperare de dei misericordia. quam uanis idolis inmolare. Nolite ergo de medico bono